

Alte Drucke

**ANTONII || LVLLI BA-||LEARIS, || PROGYMNASMATA ||
RHETORICA. ||**

Lulio, Antonio

Lugduni, 1572

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150772

ANTONII

LULLI BA-

LEARIS,

PROGYMNASMATA

RHETORICA.



IN VIRTUTE,



ET FORTVNA.

LUGDVNI,

APVD GVLIEL, ROVILLIVM,

SUB SCYTO VENETO.

M. D. LXXIL

ЧИСТИА

АНДАЧИ

СРЕДИ

АТАМЗАМУСОХ

АСИЛОМА

Г



СВЯТОЕ ПОСЛАНИЕ

СИНОДА СВЯТОГО АПОСТОЛА ПАВЛА

СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА ПОСЛАНИЕ КЪ РИМЛЯНОМЪ

СВЯТОЕ ПОСЛАНИЕ



GENERO SISSIMO
ADOLESCENTI DOMINI
NO ANTONIO A BAVMA,
Comiti de Montreuelr, Antonius Lul-
lus Salutem & Dei gratiam.



VM intellexi dele-
tari te studiis litera-
rū, atq; in his pro etat-
e progressus fecisse a-
liquos: operæ pretiū me
facturū putaui, si exercitationes, quas
patri tuo olim puerο dictauimus, & in
quibus ille prima sapientiae rudimenta
posuit: nunc in gratiam tuam recogni-
ta, recusaq; edi curarē. Nam & exemplar
nullum te dignum inueni: licet ty-
pis sit non semel opus excusum. Iuuabit,
vt spero, memoria paternarū actio-
num: non modo earum rerum, quas in

A 2

4
armis dux, & miles gesit fortissimus:
sed etiam quas sub ferula praetextatus.
Ego enim quanquam fidem, pietatem, pru-
dentiam, constantiam, atque animi ma-
gnitudinem, herois illius magnifecerim;
attamen facundiae laudem, qua praesta-
bat, inter minima nunquam duxi. Nec
referam quanquam ille mihi gratiam ha-
buit de hac institutione adultus. Sed re-
ferunt quidem aliqui orationem, quam
habuerat apud populum Vesuninum,
a Carolo Quinto Imper. ciuitatis popu-
liq; capitaneus (ut loquuntur) & custos
institutionis. Mirati sunt alij disceptatio-
nes eius, cum Vesulij, pro praetorio tri-
bunali sedens, ius diceret Ballinus (no-
men dignitatis est) superioris Burgun-
die. Quid autem verbis non efficit in
prælio iuxta Lugdunum, quando for-
tissimi, callidiissimiq; hostis aciem fregit,
& fudit? quando perfidi quidam mili-
tes

5

res eius pugnam decretarent; timidi
ali⁹ loco cederent? Ibi non solum verba
surpauit rhetorico more, iuuenis Im-
perator: sed & linguam peregrinam, ve-
nationis peregrinae milite animaret ad
victoram, quam est adeptus. Eo au-
tem hæc ego scribo libentius, quod in eis
expressa fuerint tria illa, quæ dicuntur
genera causarum. Accipies igitur hoc
opusculum, non tanquam discipulus
meus, sed tanquam filius, & ha-
res, Francisci (patris tui de-
functi) cui antea dona-
rum fuit. Vale.

A 3



PRIMVM PRO- GYMNASMA.

DE EXORDIO.



RINCIPIVM illud orationis,
quod habendo sermoni præponitur tāquam præludium, Latini di-
xere Exordiū, & Græci *ἀπολύμαντον*.
Hoc igitur cūm primum in ora-
tione sit, in eo nos primum exerceri conueniet.
Sed exordiorum finem triplicem esse, vulgo no-
tum est: reddere auditorem vel benevolum, vel
attentum, vel docilem. Ac benevolum quidem
reddimus præter alia, si statim laude aliqua in-
signi eum efferrimus: vel si calamitatem nostram
aperimus, vel merita. vt,

*O regina, nouam cui condere Iuppiter urbem,
Iustitiamq; dedit gentes frenare superbas;*

Troes te miseri, uentis etc.

Attentum verò, cūm de rebus dicturos nos signi-
ficamus nouis, magnis, vtilibus, scitu denique
non indignis. vt,

Optime Graiugenum, cui me fortuna precari,

Et uitæ comptos uoluit pretendere ramos.

Docilem facit eorum quæ dicturi sumus, propo-
sitio, summāque declaratio. vt,

Troes te miseri uentis maria omnia uecti,

Oramus:

Exordio
in triplice
Benevolu-

m

Athenian

Docilem

Oramus: prohibe infandos à nauibus ignes.

Pleni autem atque integri, exordij partes inuenias quatuor. Sunt hęc: Propositio, Redditio (sive Axiolis) Fundamentum, & Conclusionis. Propositionem vocamus primam illam sententiā, vnde opinionum cōcertatio aliqua oriri potest: & cui velut repugnans, redditur Axiosis: hoc est dignitas. Est autem dignitas sententiā practica, quæ agendum aliquid, vel non agendum suadet. Duabus sic inter se pugnantibus (Propositioni, inquam, atque Redditioni) tertia substernitur, dicta Græcè Básis, id est Fundamentum. Hic conciliatione aliqua facta, subsistit duæ illæ, & tanquam rediguntur in concordiam: ut nullo iam impedimento fieri possit cōclusio. Singulis hisce partibus apponi solent suæ rationes & confirmations: & si raro omnibus.

APPENDIX PRIMA.

Semeū hoc dictum volo: nos in iis quæ hīc & in sequentibus, præcipiemus, rectam naturalēmque methodum tradituros: quā exercendo sequi licebit, non quam necesse sit semper sequi. Nam (vt in exordio id primum doceamus) multa eius generis inuenias, quæ vna tantum parte continentur: alia duabus, alia pluribus. Nō raro ex abrupto incipit orator: & interdum plura exordia obuoluit. Ordinem nullum seruauit Cicero pro Archia poëta. Siquidem primam fecit Axiosin: secundam Conclusionem: tertiam Fundamentum: ultimam Propositionem. Rem

A 4

*Partes Exordiū
Cuantur*

Propositio

Axiosis

Redditio

Conclusionis

sanè cognitu difficultem iis, qui nostra nunquam legere. Sed huius consilij aliud præceptum dare superuacaneum est. Nam si diutius cōmorari iuuat in procēsio: non solū confirmationes multiplicabis & argumenta, sed dilataris omnia cum verborum, tum sententiarum copia, cum apparatu.

APPENDIX II.

Illud quoque pueri scire debent: pronunciatione sola, atque gestu, fieri aliquando attentionem, ut apud Ouidium,

Atque oculos paulum tellure moratos
Suspulit ad proceres: expectatoq; resolutus
Orasono. Et rursum in eodem loco benevolentiam captauit lachrymis,
Manuq; simul uelut lachrymantia tergit
Lumina.

EXEMPLVM EXORDII
ex 2. Aeneidos.

PROPOSITIO.

Infandum regina iubes renouare dolorem:
Troianas ut opes & lamentabile regnum
Eruerint Danai: queq; ipse miserrima uidi,
Et quorum pars magna fui.

DIGNITATIS rationes duæ: **Quis talia fando**
Myrmidonum, Dolopumue, aut diri miles Vlyssis,
Temperet à lachrymis: Et nox iam humida cœlo
Præcipitat, suadentq; cadentia sidera somnos.
Erat enim dignitas, quæ omissa est, hæc: sed ab
corum

PRO GYMNAS. RHET.

corum commemoratione me retrahunt lachry-
mae, & temporis angustia.

FUNDAMENTVM. Sed stantus amor casus
cognoscere nostros,

Et breuiter Troie supremum audire laborem:

Quanquam animus meminisse horret, luctus refigit:

CONCLVSI O. Incipiam.

SECUNDVM PRO- GYMNASMA.

DE PERORATIONE.

Sicut orationis principium diximus Exordium, sic finem vocamus perorationem: Græcè ἐπίλογον. Debuerat quidē progymnasma huius primum ponī: vt quod primum in mētis intentione est, primum esset in exercitatione artis. Sed libuit exordium præmittere, in quo plus esse artis constat, atque usus: ad perorationis doctrinam propemodum sufficit, vt memineris faciendum esse tandem aliquando dicendi finem. Huius ergo partes sunt, transitus, collectio, motus, & suffragium. Per transitum declaramus dictum à nobis satis esse, nihilque, vel unum aliquid tantum superesse. vt, Ac de his quidem hactenus. Collectio autem conclusio est argumentorum. vt,

Italianam non sponte sequor. Interdum tamē repetitione fit succincta argumentorum: & dicitur Græcè ἀγωγαθεωσις. Per motum, siue pro-sopoeiam, in auditorum animis spem vel me-

*Partes Co-
lazumi
Transitus
Collectio*

Motus

Suffragium

tum, vel odium, vel amorem facere conamur.
Suffragium denique postulamus, & assensione
 eius rei, quam suadere conati sumus. vt,

Destine meq; tuis accendere, teg; querelis.

Nos quoque nostrum suffragiu apponimus ple-
 rumque, vt Salust. Quare ita censeo publican-
 das eorum pecunias, &c.

APPENDICES TRES.

P R I M A.

Transitus sola s̄pē fit coniunctione illa-
 tiua. vt, *Quare agite, ô proceres.*

S E C U N D A.

QVia breuem esse oportet epilogū & gra-
 quem: id circa pr̄cipiunt, vt in recapitula-
 tione pauca referamus, cāque membris exiguis
 & concisis. Exemplum habes in Virgilio, qui
 longam duorum librorum narrationem disti-
 cho collegit:

Hic labor extremus: longarum hec meta viarum:

Hinc me digressum uestris Deus appulit oris.

T E R T I A.

ET simpliciter quidē enumerare potes, capi-
 ta, hoc modo: Dixi h̄c, & h̄c: quare agite
 hoc, vel hoc. Sed ne langueat oratio, subsidio
 erunt figuræ omnes, maximè ironiæ: vt conce-
 sio, dubitatio, pr̄teritio & similes. Non raro
 etiam reiicitur argumētum pr̄cipuum aliquod
 in hunc locum.

E X E M P L U M P E R O R A T I O

nis ex oratione Catonis apud Salustum.

TRANSITVS. Quare ego censeo. C O L-
 LECT

PROGYMNAS. RHET.

II

LECTIO CVM MOTU. Cùm nefario consilio sceleratorum ciuium respub. in maxima pericula venerit. **CONFIRMATIO IN EPILOGVM** reseruata. iisque indicio T. Vulturtij, & legatorum Allobrogum conuicti confessique sint cædem, incendia, aliisque fœda atque crudelia facinora in ciues patriamque parasse. **S V FRAGIVM.** De cōfessis sicuti de manifestis rerum capitalium more maiorum supplicium sumendum.

TERTIVM PROGYM-

NASMA.

DE NARRATIONE.

NARRATIO est rei geste, ut gesta est, expositio. Debet autem hæc, quantum fieri potest, dilucida esse primum: deinde brevis: tertio verisimilius: ac demique iucunda. Et fieri quidem dilucida, si verbis utatur propriis & significantibus: ordine rerū tam recto, quam distincto, ne confundat ultima cum primis: tamque locorum, quam personarum expressa sint, ac distincta nomina. Brevis vero erit, si nihil habeat superuacaneum: ut sine quo nihil perspicuitati decedat. Sed verisimilem reddet factum cum persona, loco, tempore, causa, & modo, cōsentiens. Alioqui certè ineptum sit, fraudes tribuere Aristidi, aut stupiditatem vulpi: aut eo tempore secundum fuisse bellum Punicum, quo Romulus prima iaceret urbis fundamenta. Delectabit præterea, quæ

*lalatio
Narrationis*
quæ magna, noua, inexpectata continet: tum etiam, quæ motus, & perturbationes personarum. Atque hæ quidem sunt virtutes Narrationis. Dilatatur autem quatuor modis. Princípio si nō tantum id quod factum est, sed etiam quod omissum, sermone consequaris. Deinde si causam facti, & effecta adhibeas. Tertio consilia, & considerationes, quas Græci λογικας nominant. Quartò exornationes: ut per epitheta, per descriptiones personarum, & locorum, & temporum, herbarum, atque aliarum rerum: per similitudines, per comparationes.

APPENDICES TRES.

PRIMA.

Narrationum et si aliae sunt fabulosæ (hoc est fictæ) aliae historicæ, rerū vetustarum: aliae ciuiles, vt quibus vtuntur oratores in controuersiis, & omni aetione populari: omnibus tamen res antè gestæ aliquo modo, & cum suis circumstantiis exponuntur.

SECUNDA.

FAbulosa narrationes, quod ad legentiū maxime voluntatē conscriptæ sunt (veluti sunt omnia poemata) variā idecirco tractationē habent. Sed Apologi, qui admonitionis causa singuntur, illam vel in fronte ponunt statim, vel in calce. Hanc Græci dicūt ἐπιμύθιον, Latini affabulationem: illam ὀρομύθιον, fabulæ exordium. Historici præterea in descriptiones rerum & personar

personarum, egredi solent: oratores dicta sua confirmant argumentis, moribus, & suffragiis.

T E R T I A.

Fatum intellige cuiuscumque verbi principali actionem vel passionem: quanquam horum quidem alterum alterius causa efficiens sepe est: unumque ab altero saepe dependet: veluti sermo ab animi passione nascitur: à sermonæ rixa: à rixa cædes. Sed causa finalis ea dicitur, propter quam aliquid fit.

Q V A R T A.

Loginus autem non differt à causa, sed causæ finalis est confirmatio, narrationis propria: quare & se numero multiplicatur. Luius: Itaque & ingenio freti, & quod metu celsisse crederent hostem: id morari victoriam rati, quod interesset amnis: clamore sublato, passim sine ullo imperio, qua cuique proximum erat, in amnem ruit.

E X E M P L U M N A R R A T O N I S
fabulosæ ex Aphthonio.

PROMYTHION siue exordium. Qui Rosæ pulchritudinem demiratur, plagam Veneris cogitet. PRIMVM FACTVM ET CAVSA. Mars Deam hanc amabat: hec vero in Adonin deperibat. COMPARATIO. Nec minus affecta era Venus amore erga Adonin, quam Mars erga Deam. Deus quidem amabat Deam, sed Dea mortalem sequebatur. Par erat cupido, tametsi natura dissimilis. LOGISMI. Zelotypia ergo affectus Mauors,

Mauors, tollendum censet è medio Adonin.
 Nimirum Adonide extincto, extinctum iri putans pariter & illorū amores. FACTVM SECUNDVM. Mars ergo Adonin ferit. TERTIVM CVM CAVSA ET MODO. Quod cum resciasset Venus, auxilio accurrés, festinatérque rosas ingressa, in spinas incidit, & plantam pedis vulnerauit. QVARTVM CVM REBUS INDE SEQVVTIS. At cruor è vulnere manans, rosa colorem in suam speciem conuertit: & rosa, quæ prius candida erat, in eam quæ nunc cernitur, mutata est.

A L I V D E X E M P L U M N A R .
rationis Politicae ex Terentio.

PERSONAE *descriptio*. Est è Corintho hic anus paupercula. FACTVM. Eius filiam ille amare cœpit perditè. MODVS. propè iam vt pro vxore haberet. MODVS ITERVM. Haec clam me omnia. FACTVM ALTERVM. Vbi rem resciui. NON FACTVM. cœpi non humanitus, neque vt animum decuit ægrotum adolescentuli tractare. FACTVM. Sed vi & via peruolgata patrum quotidie accusabam. FACTI enarratio, quod sermone constat moratio. Hem, tibine hæc diutius licere speras facere, me viuo patre? &c.

QVARTVM

QVARTVM PRO-
GYMNASMA.

DE DESCRIPTI ONE.

Descriptio aut nō admodum differt à narratione, aut certè eiusdem generis est cum ea. Differt autē, quòd illa facti est expositio: hæc verò substantia, per partes & accidentia propria. Illic ordine enumerantur plura facta, præcedentia aut subsequentia, id quod præcipuum est: hic vnius rei partes enarrantur, vt re ipsa existunt, additis etiam iis quæ propositam substantiam aliquo modo proprietate attingūt. Requirit autem cogitationis præsentem vim, vt rem ipsam tanquam oculis cernas: deinde memoriam, ne aut eadem subinde repeatantur, aut quæ necessaria sunt, prorsus omittantur. Confirmabit verò hanc dilucidus ordo tum rerum, tum etiā verborum. Qui tum optimus fuerit, cum à notissimis quibusque incipiet, atque ab iis statim, quæ prima oculis sese ingerunt: ac deinceps paulatim descenderet ad secretiora, accidentiaque rei propria.

APPENDIX VNA.

Describimus personas, loca, & tempora. Hæc autem per ea quæ in tempore fiunt: quoniam temporis nullam inuenire possumus substantiam, quam depingamus, nisi per translationem. Sic Famam depinxit Virgilius, Inuidiam

diam Ouidius , & similia multa, quæ ~~apud~~ definiuntur. Bruta verò, & plantas, & quæ sunt eius generis , non aliter quàm personas ipsas enarrabimus.

E X E M P L U M D E S C R I P T I O N I S
portus, ex primo Aeneidos.

Res & partes. Est in secessu longo locus : insula portum

Efficit obiectu laterum: Propria. quibus omnis ab alto
Frangitur, inq; sinu scindit sese unda reductos.

Partes. Hinc atq; hinc uaste rupes, geminiq; minantur
In coelum scopuli, quorum sub uertice latè
Aequora tuta silent. tun syluis scena coruscis
Desuper, horrentiq; atrum nemus immunit umbra.
Intus aquæ dulces, uiuoq; sedilia saxo.

Propria. Nymphae domus. hic fessas non vincula
naues

Vllas tenent, unico non alligat anchora morsu.

A L I A E X E O D E M , C V M
multis proprietatibus.

Vrbs antiqua fuit , Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italianam contra , Tyberinaq; longè
Hostia, diues opum, studiisq; asperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus ur
Posthabita coluisse Samo

QVINTVM PRO-
GYMNASMA.

DE ENCOMIO.

Encomium descriptio est partium & accidentium rei, amplificationē habens cum laude aut vituperio coniunctam. Laus verò, demonstratio pulchritudinis, utilitatis, & voluptatis; bonorum denique, quæ in illis inueniuntur, aut omnium, aut singulorū. Quapropter opus Encomij vnicum inuenitur, bonorum & malorum, quæ insunt rei, amplificatio. Tractatur autem proœmio ad rem accommodato: deinde descri
*ep. Vnde
etiam*
potione per genus, educationem, & res gestas: tertio comparatione, qua id quod laudamus, collarum cum re alia insigni, aut maius, aut aquale esse inferatur. Hic enim vires suas maximè exerit amplificatio. Postremò epilogus fiet voto & precationi quam simillimus. Cæterum genus in gentem diuidimus, patriam, maiores, ac parentes: educationem quoque in studia, artem, legem, & exercitationem. At verò res gestas (in quibus sita est vera laus & honestas) in bona partieris animi, corporis, & fortunæ. Animi quidem sunt, iustitia, moderatio, fortitudo, prudentia: corporis, pulchritudo, velocitas, robur: fortunæ, fama, principatus, diuitiæ, amicitia, clientela. Quæ omnia si excutiantur, et si alia aliis fœcundiora sint, nihil tamen ab laude adeo abhorret, tamque iejunum est, cui non

B

optabile quippiam inesse, aut honestum præter cætera inueniatur.

APPENDICES IIII.

PRIMA.

Tam vituperari, quam laudari, solent perso na, vt Aristides: ὥραί μετά, id est res, vt iustitia: loca, vt portus: temporis partes, vt ver: mura animalia, vt equus: plāta, vt olea: ac quicquid denique in rerum natura existit.

SECUNDA.

Non datur proprium exordium encomij. Licet enim vnde cunque exordiri, modò ad rem propositam possis cōmodè descendere: siue id fiat à sententia generali, siue à chria, siue ab apolo, siue à cōtrario, siue à reprehensio ne alterius, siue à narratione rei alterius: frequenter tamen ab insigni laude eius rei, qua ornanda nobis proposita est.

TERTIA.

Non solum autem in personis exutienda veniunt illa, quæ diximus in diuisione, genus, educatio, res gestæ: sed καὶ αὐτοὶ οἱ ea dem in rebus aliis inuestigari possunt. Ut in virbis laudes, conditores & legislatores assumentur loco parentum, ciues liberorum rationem habent, & aliis in rebus commoda atque utilitates, quas inde solet genus hominū accipere.

QUARTA.

Epilogus Encomij cōgratulationem habet, præterquam in funebri oratione. Nam hic defuncti

defuncti laudes sequitur admonitio viorum: deinde cohortatio ad æmulationem , maximè liberorum: postea consolatio necessariorum, vt vxoris, fratum , & eorum qui superstites fuerint. Sed Epilogus sola precatione , & ea quidem breui contentus erit.

EXEMPLVM.

Laudatio Thucydidis ex Aphthonio.

EXORDIUM à sententia. Rerum utiliū inventores honorari ab iis decet, quibus præclarissimam quæsitum est: quodque per ipsos hominibus innotuit, iure optimo in demonstratorum gratiam reponitur. Proinde ego Thucydidem oratione laudabo, suis ipsum rebus ornare constituens. A B insigni laude. Et quidem de nobis bene meritos omnes prosequi honore conuenit: eoque amplius Thucydidem, præter cæteros, quod rem omnium pulcherrimā inuenit. Nam neque in rerū natura melius quicquam haberi contigit sermone , neque in sermone sapientius quicquā inueniri potuit Thucydide. A GENE R E. Patria igitur Thucydidi ea fuit, qua eidem dedit & vitam, & artem. Natus namque ibi est , vbi nata est oratio. Vitæque parentem nactus Athenensem urbem, ad reges generis sui retulit originem. A FORTVNIS. Ex quo in eam quoque fortunæ amplitudinem euasit, vt quoniam generis potentiam cum populari statu ciuitatis coniunxerat, utriusque commoditas alteri in correctionem

cesserit. Nam & iniustas opes ne sibi compararet, æquitate legum prohibitus est: & vulgi cōmunēm inopiam, felicitate generis obtexit.
EDUCATIO. Atque ab his quidem ortus, in repub. & legibus Atheniensium educatur, omnium præstantissimis. Conscius autem, vitam suam armis simul & legibus esse aptam, vtrumque, & philosophiam & rem militarem colere decreuit: neque arma literarū studiis adimens, neque exiguum prudentiae partem esse existimans in præliis. Sic in diuersis artibus uno eodemque studio se exercuit, ea simul inter se cōiungens, quæ natura longissimè dissidebant.

RES GESTAE. Sumpta igitur virili toga, occasionem quæsiuit, qua posset eorum documenta exhibere, in quibus honestè prius se exercuerat. Atque ita fors tulit, ut bellum mox accideret: & is Græcorum omnium res gestas, artis sua materiam fecit: factusque custos eorū est, ne quid periret, quæ bello fuerū sublata. Nam quod quisque gesit, id à tempore cōregi haud quaquam passus est. Hinc captam fuisse Platæa cognouimus, Atticam vastatam tenetur: hinc Peloponnesi oras ab Atheniensibus innotuit fuisse nauigatas, nauales pugnas vidit Naupactos. Quæ omnia latere Thucydides non sicut, literis à se mandata. Lesbos olim capta fuit, ac etiamnum prædicatur: initum fuit olim prælium Ambraciotis, neque id longi tēporis diuturnitas absumpsit. Non ignoratur Lacedamionrum iniusta sententia: Sphaereteria & Pylos

(maxi)

(maximum Atheniensium facinus) nō latent.
Vnde & Cοrcyræis, apud Athenenses concionantibus, contradicunt Corinthij: Aeginetæ Atheniensium delatores, veniunt Lacedæmonia; & Archidamus vtens in concione modestia, atque Stenelaidas ad prælium vrgens, & præterea Laconicam Pericles legationem contemnens, prohibénsque Athenenses ægro esse animo propter pestem. Hæc planè in perpetuū custodiuntur Thucydidis historia. C O M P A R A T I O. Ecquis ei adhuc comparat Herodotum? Atqui ille ad voluptatē narrat, hic omnia cum veritate cecinit. Quāto igitur deterius quid est, si ad gratiam fiat, quām si veritatis causa: tanto relinquit post se maiori spacio Thucydides Herodotum, tantoque magis eius laudibus gloria Herodoti concedit.

E P I L O G V S.

Erant quidem alia permulta, quæ de Thucydide dici poterant: sed laudum eius multitudo obstat, quo minus omnia dicantur.

 S E X T U M P R O G Y M -
N A S M A.

D E C O M P A R A T I O N E.



Comparatio est oratio *ἀντεπαγμός*,
hoc est, res diuerfas inter se cōmitens, & examinans, ut ex collatione altera maior ostendatur, aut eidem æqualis. Omnino enim cōparatio dupli con-

stat encomio: duplice inquam laude, aut duplice
vituperio, aut laude simul & vituperatione. Cæ-
terum ita agendum, vt non totum toti simul
conferas (id enim planè supinum sit, atque in-
firmum) sed caput capiti sigillatim & distin-
ctè, adhibitis etiam conclusionibus ad singu-
las comparationes, vt differentiæ ipsæ & excel-
sus quam maximè appareant.

APPENDICES DVAE.

PRIMA.

Comparantur personæ, res, tépora, & quæ-
cunque laudari possunt: sed hæc ipsa aut
ex qualitate, vt inter duo bona vtrum melius,
inter duo mala vtrum peius: malum etiam cum
bono confertur eadem ratione qualitatis. In
quantitate autem, maiusne, an æquale aut mi-
nus sit, quæritur.

SECUNDA.

Debet cōparatio ex capitibus singulis en-
comij desumi, quia nec omnia capita
semper prosunt: & iucundius est, in medio cur-
su certantes videre, cum alter alterū modò an-
teuertit, modò sequitur, quam ad metam tan-
tum concurrentes.

EXEMPLVM.

Comparatio Achillis & Hectoris, ex Aphthonio.

EXORDIVM à sententia generali. Ut virtus
virtuti comparetur, filium Pelei cum Hectore
cōmittam. Nam etsi virtutes suæp̄re natura sunt
venerabiles, ex collatione tamen longè fiunt
optab

optabiliores. A P A T R I A. Vterque igitur ex laudata patria ortus est, et si non ex eadem ambo. Hic enim ex Phthia, ynde prodiit Helladis cognomen: alter ex Troia, cuius conditores pri-
mi deorū extitere. C O N C L V S I O 1. cap. Ita-
que quanto magis, ne alter alteri præferatur, confert ex patria simili ortos esse, tanto quidem minus Achilli cedet Hector. M A I O R E S. Ex clara autem ciuitate ambo nati, par etiam genus fortiti sunt. Ex Ioue enim ambo genus du-
xere. nam Pelei filius est Achilles, Æaci Peleus,
Iouisque satu ortus Æacus. Hector quoque è Priamo natus est, qui patrem habuit Laome-
dontem, Laomedon Dardanum, Dardanus ve-
rò Iouem. P A R E N T E S. Sed à Ioue oriundi, similibus etiam parentibus vni sunt. Achillis pa-
rentes fuere, Æacus & Peleus: quorum ille Græ-
cos à caloribus nimiis atque siccitate liberauit,
alter extinctis Lapithis coniugium Deæ fortis-
tus est, insigne quidem virtutis præmium. He-
ctoris progenitores Dardanus & Priamus: quo-
rum alter cum diis immortalibus vitam egit,
Priamusque à diis ædificatam urbem possedit.
C O N C L V S I O 2. cap. Ut igitur simile pror-
fus est, cum diis habere consuetudinem, & cum eorum optimis vitam agere, sic planè similes sunt inter se Hector & Achilles. EDVCATIO.
Ambo igitur à talibus oriundi maioribus, ad fortitudinem educati fuere: ille quidem à Chironе, huic verò Priamus ipse & pater & morū formator fuit, addens optimæ naturæ, virtutis

præclara documenta. C O N C L V S I O 3. cap.
 Par itaque amborum educatio, ad virtutem pa-
 rem vtrique gloriæ profecto pariet. R E S gestæ
 usque ad mortem. Postquam verò excessere ex e-
 phebis, par vterque robur virtutēmque uno in
 bello præstitit. Primum namque Hector Troia-
 norum dux, & Troiæ propugnator, quādiu
 vixit, diis auxiliaribus & sociis in eo bello ste-
 tit: cadensque, ruina sua patriæ ruinam secum
 traxit. Achilles Græcorum dux, qui Troianos
 omnes præ timore in fugam vertebat, Palladem
 habuit auxiliatricem: qui etiam occubens, spem
 omnem victoriam ademit Achæis. Et ille quidem
victus à Pallade, interiit; hic autem ab Apolline
confixus. C O N C L V S I O 4. cap. Sic ex diis
 ambo oriundi, deorum manibus occubuerunt: &
inde vitæ finem accepere, vnde acceperant initium. E P I L O G V S. Quām igitur vita, morsq;
 similes inter se fuerunt, tam similis Achillis cen-
 sendus est Hector. C O N C L V S I O . Plura de
 vtriusque virtute dici poterant, nisi corū gesta
 vtrinque simili cum gloria coniuncta essent.

S E P T I M V M P R O-

G Y M N A S M A.

C H R I A.



Hria quoque laudatio breuis est di-
 cti & sententiae, personæ alicuius
 insignis (aut facti, quod rationem
 habeat sententiae) in usum aliquem
 adhibita.

PROGYNAS. RHE T.

adhibita. Chria enim Græcis ab utilitate dicta est: & verbis interdum continetur, in rerdum actione, non raro etiam vitroque. Primi generis est, quod Plato dicebat, virtutis ramos ex laboribus sudoribusque nasci: alterius, quo Pythagoras interrogatus quanta esset hominum vita, cum breui se spacio cōspiciendum exhibuisset, postea se abscondit, breuitatem vita conspectu illo momentaneo meritus. Eodem modo Lacon Lacedæmoniorum dux interrogatus, ubi essent Laconici fines imperij, hastæ sua cuspide ostendit. Mixta est illa Diogenis, qui puerum contemplatus lascivientem, eius pædagogum baculo percussit, dicens, *Cur hæc doces?* Atque hæc quidem genera sunt Chriæ. Tractationis vero capita sunt, laudatio autoris, interpretatione sententiarum, cum causa, & eius confirmatione (quæ sumitur à contrariis, à similibus, ab exemplis, à testimoniosis veterum) & breui epilogo.

APPENDICES IX.

PRIMA.

Proemij locum obtinet autoris laudatio: qui si plura alia dixerit, aut fecerit, per præteritionem incipere licebit: sin minus, locos inuenies in Encomio.

SECUNDA.

Paraphrasis cum Chria ipsa adhibetur. Hæc verbis propriis exponit, si quid fuerit in chria aut figura, aut tropo dictu obscurius, & facti additis circumstantiis.

*Chriæ
vñ dñ*

*Tractatio
Chriæ*

TERTIA.

RAtione causam reddimus , cur ita dictum factumue sit. Desumitur autem haec ex consideratione rerum praecedentium & consequentium & coniunctarum : vt loci, temporis, personae, rei, finis, modi, materia.

QVARTA.

COntrarij scito esse magnam vim , tam ad copiam & ornarum, quam ad fidem. Diciturus ergo de bello , argumenta inuenies in pace: & dicentem de virtute, vitiorum cognitio plurimum iuuabit. Denique hoc potest contrarium, vt cum eadem dicamus , multa tamen & magna, variaque afferre videamur.

QUINTA.

Similitudo,parabola Græcè dicitur, quæ pro rei natura sumenda est , vt magna magnis, humilia humilibus, iucunda iucundis comparantur:nisi loquaris Ironicè. Dico autem Magna , quæ admirationem habent , aut ipsa per se, aut ex ingeniosa applicatione. Iucunda, quæ sensum aliquem delestant , maximè verò visum, auditum, olfactum : vt prata, flumina, flores , pulchritudo mulierum , virorum , equorum, adficiorum, concentus vocum , odorum suavitates.

SEXTA.

Argumentum ab exemplo ^{et rex non} dicitur, quia non ubique nobis suppetit. Differt à parabola, quod haec res habet communis usus accidentes, absque certa persona: exemplū autem raro

rard fit, & personam habet, aut simile quippiam
personæ, quod imitari debeamus.

S E P T I M A.

Testimoniorum duo sunt genera, diuinum
& humanum: argumenta quoque Inarti-
ficialia eiusdem prouersus rationis cū ipsa chria.
Hec sunt oracula, prædictiones, sacrae scriptu-
rae, sanctiones principum, dicta poetarum, ora-
torum, philosophorum, virorum fortium.

O C T A V A.

In epilogo paucis reperitur chria, cum thesi
ipsa, propter quam est allata. Valerius Ma-
ximus (apud quem hoc exercitamenti genus
vel vnicum tractatur) saepius vtitur acclama-
tione in fine.

N O N A.

Illud autem non est prætermittendum, in
quo etiam te exerceri non parum cupio, per-
sonam per omnes casus posse variari: vt per no-
minatiuum, genitiuum, datiuum, accusatiuum,
vocatiuum, & ablatiuum: vt, Socrates aliquan-
do rogatus dixit: Socratis illud, Quæ supra nos,
nihil ad nos. Similiter & per omnes modos ver-
bi: vt, Alexander dixit, dic Alexander: vtinam
Alexander nunc viueret. Si Alexander viueret,
quid de militibus nostris etatis loqueretur? Ale-
xandrum dixisse ferunt.

E X E M P L U M C H R I A E, E X

A P H T H O N I O.

Isocrates dicere solebat, disciplinæ amaram
radicem,

radicem, fructus verò suaves. EXORDIVM
per præteritionem. Admirari decet Isocratem, qui
 artes non solum clarissimo nomine illustrauit,
 sed etiam exercitatione sua docuit, quantu pos-
 sent. Et maius quidem ab Isocrate artibus præ-
 conium tributum est, quam is ab artibus acce-
 perit. Longum igitur esset enarrare, quam bene
 meritus de hominum vita fuerit, vel regibus le-
 ges dando, vel priuatum quemque monendo.
 De disciplina verò ipsa, Deus bone, quam mul-
 ta philosophatus est! PARAPHRASIS. Ama-
 tor, inquit, disciplinæ à laboribus inchoat, qui
 in usum utilitatēmque desinunt. Ceterū quid
 hac philosophia intellexerit, ex sequentibus su-
 spiciemus magis. RATIO. Disciplinæ quidem
 studiosi à literarum professoribus examinātur:
 quos proprius accedere timor est, relinquere ve-
 rò imperitia. Metus pueros semper tenet, siue
 praesentes sint, siue expectentur. Succedit præ-
 ceptoribus pædagogi, visu quidem terribiles:
 sed multo tamen formidolosiores, cum afficiūt
 verbieribus. Formido periculum antecedit, &
 formidinem pœna subsequitur. Errata puerilia
 castigant, nec minus etiam examinant officia
 domestica. Pædagogis difficiliores sunt paren-
 tes: de viis inquirunt, accedere compellunt, su-
 spectum habent forum: & si quando opus a-
 nimaduersione sit, naturæ obliuiscuntur. Verū
 enim uero qui in pueritia in rebus huiusmodi
 fuerit versatus, cum ad virilem ætatem perue-
 nerit, virtute coronabitur. A CONTRARIO.

Quod

Quod si horum metu deterritus, primum quidem praeceptores fugiat, deinde parentes deuiter, ac denique custodes auerteretur: dicendi scientia carebit, & vna cum metu in perpetuum eloquentia priuabitur. Haec quidem sunt, quae Isocratem induxerunt in eam sententiam, ut ratiocinem eruditionis diceret esse amaram. *S I M I - L I T V D O*. Nam quemadmodum agricolæ cum labore terræ semina mandant, fructus autem maiori cum voluptate colligunt: ad eum modum, qui ad studia literarum se contulere, gloriam sibi apud posteros non aliunde quam ex laboribus pariunt. *E X E M P L A*. Sed Demosthenis vitam consideremus, oratorum omnium ut laboriosissimam, sic omnium postea redditam clarissimam. Is enim tanto fuit studio, ut comam capitis ornamentum aliquando deposuerit: id ornamenti optimum ratus, quod à virtute procederet: & quæ alij in voluptates absunt, ea Demosthenes lucubrationibus impendebat. *D I C T A S A P I E N T V M*. Quare Hesiodum laudare atque admirari par est, qui virtutis viam asperam dixit, verticem vero planum. Eaudem nanque sententiam ambo expoununt, et si verbis quidem dissentiant.

E P I L O G V S. Quæ si recte considerentur, Socratem meritò laudandum & audiendum esse ducemus, sapientissime de disciplina philosophatum.

O C T A

OCTAVVM PRO-
GYMNASMA.DE REFUTATIONE ET
HYPOPHORA.

Esfutatio, quam Gr̄eci ἀραθεύν: no-
 minant, reprehensio est, eversioque
 rei proposita. Eius autem usus per-
 quam necessarius est, & in iudiciis,
 & in tenatu. Tres ergo partes ei tribuuntur:
 quarum primam in reprehensione ponimus, &
 contemptu eius qui dixit prior: alteram in di-
 eti expositione. Tertia vero, in qua sitū est om-
 ne destruendi opus, capitibus quinque diuidi-
 tur: Obscuro, incredibili, impossibili, non con-
 sequenti, ac denique malo: in quo dedecus, &
 damnum, & molestia. Quod si ad horum argu-
 mentorum corroborationem Christia aliqua suc-
 currat, eam suis locis duces: alioqui poteris v-
 numquaque & contrariis, & similibus, & exem-
 plis, & cōparationibus expolire. Atque hi qui-
 dem loci refutationis. Nec aliter confirmando
 diuersa sententia: nisi quod in diuersum eadem
 usurpamus, ut pro obscuro, dilucidum: pro in-
 credibili, verisimile: ac pari modo carera, possi-
 ble, consequens, honestum, utile, incundum,
 necessarium.

APPENDICES TRES.

PRIMA.

Refutatio plenius aliquando tractatur: vt
 cum partes singulas propositi examinan-
 do sigil

tres partes
 refutatio,
 ris
 primum
 atio curios
 capitib
 ab eo hanc

do sigillatim reprehendimus. Aliquando etiam per occupationem: ut cum astruentes aliquid ea interim euellimus ac demolimur, quæ contraria ab aduersario dici possent: & appellatur occupatio hæc Hypophora: nec aliter tractatur quam altera: videlicet, prothesi, hypophora, antiprothesi, & anthypophora. Propositio hoc unum continet, quod ita dicunt aduersarij, vel dicent fortasse: non recitata tamen eorum sententia in initio. eique contradicitur reprehensione aliqua eorum, qui sic dicunt: vel famæ, si fama obstat: & dicitur hæc antiprothesis. Hypophora autem quanquam tota tractatio ipsa nuncupatur: tamen expositio obiectionis & pars hypophoræ sic dici solet: sicut & obiectionis refutatio, anthypophora. Sunt vero capita quibus tractatur anthypophora hæc: enstasis, antiparastasis, violatio, & exitus. Atque enstasis quidem quinque ex locis duci potest: nempe obscuro, incredibili, impossibili, non consequenti, ac denique malo: id est fugiendo tanquam turpi, vel nocuo, vel molesto. Bonum enim (quod omnes appetimus) vel honestum est, vel utile, vel iucundum. Sed de his plura adhuc in cap. de thesi proximo.

S E C V N D A.

Incredibile fit, quod est contra opinionem Incredibile (maxime peritorum hominum) contra consuetudinem, contra historiam: circumstantiisque personæ, loci, temporis, causæ non conueniens. Impossibile, id est ἀδύτατος Græcè, nature ad- Impossibile uersatur,

*Occupatio
Hypophora*

*Anthypophora
enstasis
antiparastasis
violatio
exitus*

uersatur, nec fieri potest per corporis vires, fortunæ, aut ingenij. Non consequens autem id est,
^{consequens} ex duabus sententiis conficitur: cum
ex una fieri aut consequi negamus, id quod af-
firmsatur ab altera. Huic quoque proximū est
absurdum, seu repugnans: cum contraria, nec sa-
tis inter se cohærentia demonstrantur. Honestum
 quatuor ex locis duco. Primus est, quod personam decet, hoc est, conditionem & dignitatem personæ. Alter, quod legibus consentit, & moribus ciuitatis. Tertius est pietatis, quod iustum est erga Deum & homines, illud dicitur religio: sed erga parentes, patriam, liberos, cognatos, & necessarios omnes, charitas. Ultimus honestatis locus continet, quod gloriā & honorem adfert, & apud homines bonam estimationem. Utilitas denique sic exponenda, ut simul spem & timorem iniiciamus. Quare prospiciēda sunt tam bona quam mala omnia, quam mouere auditorem possunt.

T E R T I A.

Sic ergo dispones hęc argumenta, ut probatiovis semper crescat: ut prius doceas incredibile esse, deinde impossibile, & cōtrā in-
affirmando, prius possibile quam necessarium,
ut non tantum possibile, sed etiam necessariu-
m cognoscatur. Secus enim langueat haud dubiè oratio. Neque sunt anxiè nimis disqui-
 renda singula. Ea namque solicitude sāpe im-
 pedimento fuit parum expertis,

E X E M P

PROGYMNAS. RHET.

EXEMPLVM REPUTATIONIS EX
Aphthonio, non esse uerisimilia, quæ de Daph-
ne dicuntur à poetis.

33

PRO OEV MIVM EX ANTI-

prothesi desumptum.

Poëtis contradicere ineptum esset, nisi ipsi
met nos ad id inducerent, talia prius in
deos consingentes, ut ineptum sit non contra-
dicere. An non absurdum videatur, cum ipsi
deos contemnant, nos poetarum rationem ha-
bere villam? Atque ita quidem mihi videtur, cū
nullum deorum hi non calumniis cōstitūsque
afficerint. In primis autem propter Apollinem,
quem artis sux p̄nicipem fecerunt.

PROTHESIS.

Q Vales enim fabulas de Apollinis Daphne
cōmenti sunt? EXPOSITIO. Daphne,
inquit, ex terra Ladonēque nata, cum forma
cateris pr̄staret, Pythium in sui amorem indu-
xit. Cumque amator eam insequeretur, non ta-
men potuit insequendo apprehendere. Terra
verò filiam iusecepit, & florem eius loco reddi-
dit eiusdem nominis: inque arborēm mutatam,
tanquam vītricem coronauit. Ex ipsa quoque
planta, propter amorem puellæ mortalis, in tri-
pode Pythio corona proposita fuit: ex cuius
ramis sūnt munera artis, atque insignia.

ANTIPROTHESIS.

H Ec quidem illi tradunt in suis fabulis. Fa-
cile autem fuerit ea reprehendere ex his
quæ dicam.

C

Prima impugnatio, quod contra naturam est
ea Daphnes generatio.

E N S T A S I S. Daphne nata est ex Ladone
& terra. Et quam fidem facis eius generis? Altera
enim homo est, alter naturae multum ab his di-
uersa. Quomodo Ladon terrae coniunctus fuit?
An aquis inundans? Quin omnes ergo fluuij
terræ mariti nuncupantur? Omnes enim terram
eodem modo alluunt.

E X I T U S. Quod si ex flumine homo natus
est, fieri quoque poterit, ut ex hominibus fluuij
nascantur. Nanque successione parentibus filij
similes producuntur.

A N T I P A R A S T A S I S. Iam vero quid ap-
pellant coniugium terræ atque fluminis? Hyme-
naeus reru sensu præditaru est: terra sensu caret.

CONCLVSI O I.

Aut ergo Daphne inter flumina recensenda
est, aut Ladon inter homines connumerandus.

2. Quod cum ea generatione stare non potest,
ut in sui amorem Deum induxerit.

V I O L A T I O. Sed esto, concedamus poetis
genitam ex Ladone & terra. Natus infans apud
quos est educatus? Nam vt nasci fateamur, edu-
cari certe non potuit. Vbi nam rogo, degebat
puella? Apud patrem scilicet. Equis hominum
vitam duxit in fluuio? Pater enim ex impruden-
tia eam fluctibus submergeret potius, quam a-
leret. Forte apud matrem? sub terra inquam,
cōmorabatur. At si ita esset, latuisset utique: nec
formæ spectatorem suæ habuisset: nec sui de-
siderium

siderium excitare potuisset, cuius ignota erat
pulchritudo.

3. *Quod impium est Deo tribuere passiones humanas.*
ANTIPARASTASIS. Si vis, & hoc demus
etiam poetis. Sed quo tandem modo captus a-
more fuit Deus, naturamque propriam emen-
titus: Res grauissima amor est: impia quoque, si
Deo tribuatur. Nam si prorsus laborant dij: qua
in re mortalibus praestabunt? **CONCLUSIO.**
Sed neque morbum hunc deorum nouit natura:
neque Pythius vñquam mulierem adamauit.

4. *Quod non est uerisimile Deum cursu*

superari à pueris.

ENSTASIS. Sed quid, Pythius puellā mor-
talem superare cursu non potuit? Viri mulieri-
bus prestantiores sunt. Hic à mulieribus dij su-
perantur. **CONCLUSIO.** Qui fieri potuit, vt
quod viris cedit, ab eo vincantur superis?

5. *Quod non est credibile matrem nuptias*

Dei contempssisse.

VIOLATIO DILEMMATICA. Sed quo-
modo fugietem filiam suscepit mater: Sunt ne
inter mala connumerandæ nuptiæ? At quónam
alio modo ipsa mater facta est? Si optandæ, cur
voluit eā re honesta priuari? **CONCLUSIO.**
Aut ergo mater non fuit, aut si fuit, inepta re-
putabitur.

6. *Quod haec pugnant secum, uelle simul offen-
dere & delectare Pythium.*

ENSTASIS. Quid, nonne terra secum pu-
gnabit? contristabat Apollinem, filiam tuendo:

eundem oblectabat, florem producendo,
CONCLVSIQ. Non debuit oblectare, si vog-
luit offendere.

37. Quod absurdum est, ut eadem arbor electa sit
à Pythio, virtutis pariter atque nequi-
tiae sue monumentum.

ENSTASIS. Sed quare voluit Deus ea ar-
bore iuxta tripodas coronari? Voluptatis sym-
bolum fuit ramus. At diuinatio virtutis est in-
dex, ut patet. CONCLVSIQ. Quo pacto igi-
tur coniunxit Pythius, quæ natura miseri non
poterant?

38. Quod haec pugnant.

ENSTASIS. Quid præterea, cùm causa mor-
talis sit, passio immortalis,

EPILOGVS.

Hactenus dictum à me fit contra poetas, ne
poetarum more loqui ipse videat,

NONVM PRO-
GYMNASMA.

THESIS.


Hesis est logica consideratio, disce-
ptionem habens, absque certa cir-
constantia. Differt autem à refuta-
tione & confirmatione, tāquam to-
tum à parte. Non solum enim nostra sententia
suis argumentis confirmanda est, sed obiectio-
num occupationibus variis refutanda etiam di-
uersa. Alia porrò thesis dicitur theotica, alia
practi

*wjntus
Gina*

practica. quarum hæc ad actione aliquam refertur: vt, An ducenda sit vxor, An militandum potius, quam philosophandum. *Theorica*, rei cognitione sola contenta est: vt, An rotundum sit cœlum. An aliquid à seipso moueri possit. *Dissert* quoque *thesis* ab *hypothesi*, quod *hypothesis* circumstantiam habet certam, sine qua *thesis* proponitur. *Circumstantiam* semper vocamus personam, rem, causam, tempus, locum, modum. vt hæc quæstio, An adificandum sit, circumstantia caret: cum vero aduentientibus Persis, Lacedæmonij Spartam muris & propugnaculis munire deliberant, *hypothesis* est, personam siquidem habet, Lacedæmonios: rem, mœnibus munire: causam, aduentum Persarum. Tam igitur *thesis*, quam *hypothesis*, duabus rationibus continetur: confirmatione, & refutatione. Quæ si *practica* fuerit, ex capitibus ducetur primum honesto & virili, deinde faciliter & possibili. Si *theorica*, videntur præcipue diligido, credibili, & possibili. Hæc enim de veritate solum inquirit. Et quanquam refutatio- nis eadem sunt capita, quæ defensionis: tamen in refutando maiori arte, pluribusque praefatiis opus est. Quare ab diuersa parte allata argumenta & obiectiones, refellemus aggressi- nibus quatuor, *enstasi*, *antiparastasi*, *violatio- ne*, *eueniu*: corroborantes omnia exemplis, similitudinibus, dictis sapientum, locis denique omnibus Chriæ.

Practica
sit *honestus*

Theorica
mentis
credibili
in possibili

Refutacionis
præstans

PRIMA.

Persona duplex inuenitur, agens & patiens.
Vtraque inspicienda, ut recte iudices. Res
id est, quod significatur in verbo: ut coniugium
in hac, Ducenda est yxor: prælium in hac, Præ-
liandum est. Causam dicimus id, cuius gratia
aliquid sit.

SECUNDA.

Enstantia inficiationem continet, cum argu-
menti conclusionem negamus: quidam vo-
cant instantiam. Ut qui nuptias damnant, quod
multas inde calamitates homines accipiant, hi
fortunam mihi videntur, non nuptias accusare:
nam quæ in coniugio mala accident, hæc non
ex coniugio, sed ex coniugum vitio cœnunt.
Antiparastasis opponit caput capiti instantiae:
ut, cōcedo ita esse, atqui ferendum aliquod in-
commodum, ut maius inde commodum conse-
quaris. Violatio, ut nomen quoque indicat, ita
objectionem cœrit, ut contrarium prorsus sta-
tuat: ut, Non solum molestiarum nihil est in nu-
ptiis, sed plurimum etiam voluptatis.

TERTIA.

In ferenda lege, & abroganda, eadem tracta-
mus. Sed præmittendum illud in principio,
iam debuisse olim fuisse latam legem, aut abro-
gatam (si abrogatam cupis) ne illa accidissent,
quæ nunc deflemus. Occupatio namque hæc
multum momenti habet, ad faciēdam fidem in
deliberationibus.

Exemp

PROGYNAS. RHET.

EXEMPLVM THESEOS, EX

Aphthonio, ducendam esse uxorem.

39

E P H O D O S . Qui mundū hunc paucis laudare cupuerit, is cōiugij laudes afferat. P R I M A ratio ab honesto. E cōcelo nāque prodiit: imò verō cōclum replet numinibus, & deorum pater exiſtit. Vnde & alij patres nominantur: deosque veluti in alio gestans, cōseruare genus quemque suum concedit. S E C U N D A ratio ab utili. Iam verō in terram descendens, reliquis omnibus virū generandi confert. Quāque natura durare non poterant producendo, ea successionē ut durarent, excogitauit. T E R T I A ratio ab honesto. In primis autem viros ad virtutem hortatur. huius namque munere fit, ut iij per quos geruntur bella, forti animo sint, & imperterriti. Deinde etiam iustos, nedum fortes reddit. Nam cūm operam liberis dare studiose faciat, quorū causa homines sāpe verentur agere iniquē: ea ratione profectō matrimonium & iustos & fortes efficit. Quin & sapientes etiā, ut quibus suadet curam gerere rerum charissimārū. Et quod mirum est, temperantiā secum afferunt nuptiæ, & in mediis voluptatibus locum continentia inueniunt. hoc enim ipso, quod legem voluptatibus præscribunt, cum legibus temperatiæ voluptates quoque subministrant. Et quod alias sine matrimonio est, vitiosum, in matrimonio laudatur. C O N C L V S I O . Itaque si nuptiæ deos adducunt, & prēterea animantium quodque genus, & homines cūm fortes, cum etiā ill-

C 4

40 TANTONII LULLI

stos efficiunt, sapientia ac tēperantia exortant,
an non sint pro viribus laudandæ?

ANTITHESIS.

Sanè, dixerit aliquis: sed multas patiunt cas-
lamitates.

SOLVITIO.

ENSTASIS. Fortunam mihi videris accu-
fare, non nuptias. Quòd enim miseri sint homi-
nes, id à fortuna fit, non à nuptiis: quæ verò nu-
ptiæ moliuntur mortalibus, hæc non amplius
fortunæ debet ferri accepta. Quare nuptiæ pro-
pter commoda, quæ secum afferunt, laudandæ
potius sunt, quam propter mala quæ fortuna
præbet, accusandæ.

ANTIPARASTASIS. Verùm enim uero si
demus vel maximè, ex nuptiis mala hominum
grauissima oriri: an ideo statim abstinentū erit
à nuptiis? Non omnes difficultates, quæ huma-
nis negotiis intercurrunt, à rebus agendis proti-
nus deterrent. Agedum, excute artes, singulas:
aliquid semper cuique inest, quod accuses. Agri-
colas fulmina infestat, grandinis impressio-
nes cōficiunt: nec si terram fulmen ipsis vitia-
uerit, ideo terram deserunt agricultæ: sed agri-
culturam retinent, quamuis è cœlo ruens quip-
piam eos dolore contristet. Rursum nauigantes
homines aduersa fortuna agitantur, & ingruen-
te tempestate naufragia faciunt: nec tamen na-
uigare desinunt, propter damna, quæ aliqua in
parte accepere: sed detrimentum fortunæ ascri-
bunt, commodum autem ex maritima nauiga-
tione

tione expectant. Præterea bellum & pugnæ decertantium membra conficiunt: nec si cadunt decertando aliqui, ideo alij pugnam deserunt: sed quia laudantur prælantes, & cadere ipsis gratum est: & casus infelicitatē, bona rei successu contegunt. Non enim propter incōmoda, damnanda sunt uilia: sed propter bona, ferenda sunt etiam vel grauiſſima. C O N C L V S I O hypophoræ i. Nōnne igitur absurdum sit, agricultores, nautas, ad hæc etiam milites, molestissima quæque tolerare, ut optata consequantur? nos verò coniugium spernere, quòd hoc doloris quippiam afferat?

A N T I T H E S I S . II.

Atqui, inquietūt, mulieribus viduitatem, libetis orbitatem pariunt.

S O L V T I O.

E N S T A S I S . Mortis sunt haec incōmoda, quæ natura pati iamdudum cōsueuit. Tu mihi quidem ideo nuptias criminari vidēris, quòd homines deos non efficiant, idque nuptiis dare vitio, quòd mortales nō effecerit eiusdem conditionis cum diis immortalibus. Quid enim, dic quæſo, nuptias de iis accusas, quæ fiunt à morte? quid Hymenæo tribuis, quæ sunt natu ræ? Pátere occidere, quod ut occideret, natum est. Si verò homines occidunt, quia nati sunt homines: vxorēsque moriendo viduas, & liberos orphanos relinquunt: à nuptiis fieri narras, quæ à sola natura peraguntur.

V I O L A T I O . Ego verò secus planè sentio,

solo coniugio & orbitatem & viduitatem separari. Nam si mortuo patre filius orbus efficitur: sed orphano tamē filio, alium patrem reddunt nuptiæ: neque ex nuptiis hoc prouenit incommodi, sed magis legitur à nuptiis: quippe quibus non substituitur orbitas, sed euanescit potius. Præterea viduitatem si natura adfert, id à morte fit: verùm Hymenœ eadem à nuptiis remouetur. Quam enim mors in viduitate degere fecerat, eam cum viro rursum habitare faciunt nuptiæ, sui muneric veluti cōseruatices: & quę principiò attulerant, eadem si auferatur, postea restituunt. Viduitatem igitur nuptiæ auferre, non adferre cōstueuerunt. Iam si filiis priuatur pater per mortē, per nuptias alios acquirit, aliorūmque fit pater. Quod esse nō poterat, nisi aliā duxisset vxorem.

C O N C L V S I O II.

hypophore. Cur igitur quæ in nuptiis laudanda sunt, ea in vituperium conuertis nuptiarū? Sed mihi quidem nō tam carpere, quām laudare videris velle coniugium. Nam quòd me ad recentanda nuptiarum beneficia compulisti, eatenus laudator, non accusator coniugij factus es: & accusando nuptias, admirari eas non cogis, nihilque aliud tuis calūniis effecisti, quām vt vtilitatum earum catalogum nobis relinqueres.

A N T I T H E S I S.

Sanè, inquies, sed laboriosa res est matrimoniu.

S O L V T I O.

VIOLATIO & cuestas. Imò verò hoc maximè remittere laborē nouit. Quām multi enim labores

labores admuntur Hymenaeo? Leuamen omnino molestiarum suauissimum est, in consuetudinem venire cum vxore. Quantum est, in lecto cum ea concubere? Quanta verò cum voluptate filius expectatur? & expectatus editur? editus patrem compellat: inde ad artis alicuius studium mittitur, parricique operas praefat: in concione loquitur, in scena parentes alit. Denique talis euadit, qualem fore desiderabatur.

E P I L O G V s. Nemo possit omnia oratione complecti, quæ nobis à matrimonio cōtingunt.

I E P I L O G V s. Magna res coniugii est, quod deos attulit, & mortalibus praefat, ut dij esse videantur, qui ut durare possint, viam quoque ex cogitauit: iustitia inque docet, nec solertia modò largitur, ut futuris prospiciamus, sed ut voluptatibus etiam cum honore fruamur, quæ alias reprehenderentur. Cōstat igitur, inter omnia plurimi faciendas esse nuptias. Ex iisdem locis & eodem ductu, cœlibarum laudaueris: ut quodd sedes beatorū repler virginibus, viduis, & continentibus. Ac pro hypophoris sumes solutiones suprapositas antithesen.

DECIMVM PRO-

GYMNASMA.

De quantitate, sive amplificatione.

GVn verò multa sint ex sece magna & grauia, ut religio, imperium, parricidium, magnificentia: tamen pleraque à nobis

44

à nobis oratione sunt maiora: nonnulla etiam
 sunt, quæ si sola nudaque omni incremento ocu-
 lis audientium ostenderentur, nulla sui admir-
 atione quenquam excitarent: ornata verbis, &
 sublata altius, molem momentumque accipiunt
 admirandum. Quapropter quia maxima est amplificationis vis atque utilitas (et si fortasse dif-
 ficilior tractatio, quam pro tua aetate) tamen
 fieri poterit, ut aliquando adultior eius cogni-
 tione delecteris: cum aetas (inquam) maturior
 & multarum rerum usu exercitator, eloquentię
 se (ut fieri solet) totam mancipabit. Vocabimus
 igitur ex grauiissimis autoribus hoc progym-
 nasma Quantitatē. Est autem quantitas, aperta
 ambitiosaq[ue] rei tam amplificatio, quam extenua-
 tio. Cōtraria nāque amplificationi extenuatio,
 eandem ferè rationem sequitur. Tractari verò
 potest undecim capitibus. quorum primum est
 ipsa quantitas, quod magnum est aut paruum,
 id de quo agitur. sumpto quidem argumento
 primum à re, quæ necessaria celeratur, utilis, ho-
 nesta, ad charitatē pertinens, pietatem, ad com-
 modum reipublicæ. Et hæc quidem aut abso-
 lutè, ut Magnum est: aut per gradum superlatiu-
 um, ut Pernicissima fuit populo Romano
 Cæsar & Antonij amicitia. Iam deinde circū-
 stantiarum cōsideratio, ut loci, temporis, modi,
 causa, rem adaugent: circūstantiæ quoque per-
 sonæ, ut principis, sacerdotis, senis, pauperis. Se-
 cundum caput, rei continet eidem exposi-
 tionem atque hypotyposin. Tertius locus da-
 tur

marinus

*marinus
etrum Ca
rissim
uenditias*

*truncum
etrum con
itrum bo*

*tertius
duo etas
4 pollius*

tur finitioni. Cum deflexa paululum significatio propria, nomen aliud imponimus, aut ab alio separamus (non furtum est, sed latrocinium appellandum) aut certe quid hoc ipsum sit, definitio per propria declarat. Sequitur continencia, quæ factum non unum aut simplex esse docet; sed multa alia continere, & ad multos spectare. *Quinto loco* fiet comparatio expressa vel per incrementum. Voco autem expressam comparisonem, qua cum alio consertur negotium aut minus, aut maius, aut æquale. O felix ante alias Priameia virgo, Hostilem ante tumulum Troiae sub mœnibus altis Iussa mori. *Post hac* erit Protopopeia, ut vota, diræ imprecations, exhortationes, interrogations, indignationes: quod factum ab eo, à quo non oportuit: præter opinionem hominum, indignumque misericordia. Arque ideo exclamabimus, exhortando, aut conquerendo, aut increpando, ac aliis modis similibus elata orationis. *Septima est conjectura voluntatis:* ut quia mente, quóque cōsilio agere id decreuerit: tum diuinatio quædam eorum quæ facta esse aut omissa, sit verisimile. *Octavo loco* caput, quod Græci vocant ἐν τῆς ἐνθεωρίας, id est, à rei exitu: cum prædicimus periculum quod impendet, nisi prouideatur. Iam hæc tandem ornatur capitibus (quæ dici solent prima) exemplis scilicet, similitudinibus, & testimoniis variis ex Chria. Quod si etiam epilogus sit opus, sicut exhortationem ingeremus vehementiorem: ut suis rebus prospiciat iudices, ut vim virtute prouulsent.

3 Finis

4 Continetur

5 Comparatio

6 Protopopeia

7 Coniectura voluntatis

8 Ex Parte

9 Exornatus

10 Epilogus

*j. Lucas
1623.*

pulsent. Arque hinc quidem statim abrumper oratio in communem locum. ut contra latrocinium, contra parricidium, contra ebrietatem: aut cōtrā, in laudē virtutis eius rei, qua de agitur.

APPENDICES TRES.

PRIMA.

Plerisque hæc dicta est Indignatio, & eo nomine demonstrata; alij appellant exaggerationem, non pauci locum cōmuncm. Sed aliud nos locum definimus, & indignationem à prosopopœia non separamus, sed certam & distinctam speciem eius facimus.

SECVNDA.

DE aperta cōparatione quod dixi, hoc est, si rem aliā cū alia manifestè cōpares, aper ta vocetur comparatio, qualē suprà docuimus: At hæc tantum alias inter capit extulit v̄bes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi. Pallas exurere potuit totā classem Argiūm, Vnius ob noxam, ego quæ diuūm incedo regina, Louisque Et soror & coniunx, vñā cum gēte tot annos Bella gero? Non tam aperta est, quæ negotium diuidit per incrementum: magni tam en ponderis in hac parte. vt, Non solum vincere ausus est, sed etiā verberare: quid in crucem tollere? Grauius sorori vitium intulisti, quam si rapuisses. Tacitæ verò prorsus illæ quæ per emphasin, per hyperbolēn, per cōgeries verborum sunt: quia figuræ potius dicendæ elocutionis, quam argumentationis loci, aut epichermata.

TERT

TER TIA.

Figura autem & modi, qui quantitati cōueniunt, sunt, cōtentiones, distributiones, ironiae, metaphorae, enallagae numerorum & temporum, & aliquando personarum. Plenitudo autem & periodi atrocitatē tollunt. Langue enim omnis circuitus. Quare vtendum potius meritis, relatis, iteratis, duplicatis, frequentatis, gradationibus, & similibus cōmorationibus. Interrogationibus etiam, & multis exclamationibus exciterur oratio. Sed in misericordia caue omnino appareat figura studium: quia res est magis seria, quam ut fuco & pigmentis delectetur.

Exemplū mutuati sumus ex T. Liuio, modicē tamē ad rectam simplicēmq; formam reducētum, ut artificium p̄eexcercitamenti huius magis pateret.

EXEMPLVM Q V A N T I T A T I S,

ex T. Linij libro 39. contra nocturna
quædam Bacchanalia.

QVANTITAS. Evidem nec quid taceam, nec quatenus cloquar, inuenio. Si quid ignorabitis, ne locum negligentia dem: si omnia nudaero, ne nimī terroris offundā vobis, vereor. Quicquid dixero, minus quam pro atrocitate rei, & magnitudine dictum sit, existimare. E X P O S I T I O . Bacchanalia tota iampridē Italia, & nunc per urbem etiam multis in locis esse, non fama modò accepisse vos, sed crepitibus etiam, vulatibusque nocturnis, qui personant in urbe,

certum

certū habeo. DEFINITIO. Ceterū quę ea res sit,
 ignorare : alios deorum aliquem cūlum , alios
 concessum ludum, & lasciuiam esse credere : &
 qualecumque sit, ad paucos pertinere. Sed si di-
 xero multa milia hominū esse , illico necesse est
 ut exterreamini : nisi adiunxero, qui qualesque
 sint. PRIMÙM igitur mulierū magna pars est , &
 is fons mali huiusce fuit : deinde simillimi
 fēminis mares phanatici, vigiles, vino, strepitibus,
 clamoribusque nocturnis attoniti. C O M P A-
 R A T I O. Minus tamen esset, si flagitiis tantū
 effēminati forent (ipsorum id magna ex parte
 dedecus erat) à facinoribus manus , mentem &
 fraudibus abstinuissent. CONTINENTIA . Nūquā
 tantum malum in republica fuit, nec ad plures
 nec ad plura pertinēs. Quicquid his annis libi-
 dine, quicquid fraude, quicquid scelere peccatū
 est , ex uno illo sacrario scitote ortū esse. P R O-
 S O P O P O F I A. Si quibus æratibus initientur
 mares, sciatis, nō per Iouē misereat vos illorum
 solūm, sed pudeat. Hoc sacramēto initiatos iu-
 uenes, milites faciendo censebitis Quirites? his
 ex obscene sacrario eductis arima cōmittenda?
 hi cooperti stupris suis alienisque pro pudici-
 tia coniugum ac liberorum vestrorum ferro
 decernent? non puto Quirites. C O N I E C T V-
 R A. Quales enim primū nocturnos illos cō-
 tutus, deinde promiscuos mulierum ac virorum
 esse creditis? E V E N T V S. Nec dum omnia in
 quę coniurarūt, edita facinora sunt: adhuc pri-
 uatis noxiis (quia nondum ad rempublicam
 opprimen

opprimendam satis virium habet) coniuratio
se impia tenet : crescit & serpit quotidie malū.
Iam maius est, quām vt capere id priuata fortu-
na possit: & nisi præcauetis, ad summam reipu-
blica spectat. Iam huic diurnæ legitimę ab con-
sule vocatę par nocturna concio esse poterit.
Nunc illi vos singuli vniuersos concionantes
timent. Iam vbi vos dilapsi domos, & in vestra
rura eritis, illi coierint, consultabunt de sua sa-
lute, simul ac vestra pernicie. Tunc singulis
vobis vniuersi timendi erunt.

C A P I T A prima ex dictis sapientum. Non sine
causa maiores nostri prohibuerūt, ne vos quidē
nisi cum vexillo in arce posito, comitiorum cau-
sa exercitus editus esset, aut plebi consilium
tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus
ad concionem vocasset, forte temerē coire vo-
luerunt: & vbi cumque multitudo esset, ibi le-
gitimum rectorem multitudinis censebant de-
bere esse.

E P I L O G V S. Optare igitur vnuſquisque
vestrum debet, vt bona mens suis omnibus sit: si
quem libido, si furor in illum gurgitem corri-
puerit, illorum eum, cum quibus in omne flagi-
tium & facinus coniurauit, non suum iudicet.
Ne quis etiam errore labatur vestrū quoque
non sum securus.

L O C V S communis. Nihil enim in speciem falla-
cius est, quām prava religio. vbi deorum numen
prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne
fraudibus humanis vindicandis, diuini iuris

aliquid iniustum violemus. Hac vos religione innumerabilia decreta Pōtificum, senatus consulta, aruspicum denique responſa liberant. Quoties hoc patrum auorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra extera fieri vertarent? sacrificulos vatesque foro, circo, vrbe prohiberent? vaticinos libros conquirerent, cōburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Iudicabant enim prudentissimi viri omnis diuini humaniq; iuris, nihil æquè dissoluenda religionis esse, quām vbi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.

R E D I T à communi loco ad epilogum. Hæc vobis prædicanda ratus sum, ne qua superstitione agitaret animos vestros, cū demoliētes nos Bacchanalia, discutientesque nefarios cœtus cerneretis. Omnia diis propitiis, volentibusque ea faciemus: qui quia suum numen sceleribus libidinibusque contaminari indignè ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri ut impunita essent, sed ut vindicarentur & opprimentur, voluerunt.

N O N V M P R O-
G Y M N A S M A.

L O C V S C O M M V N I S.

OCVS est oratio rem amplificās, de cuius laude aut vituperio omnibus constat: ut quæ contra tyrannidem, cōtra proditionem, cōtra luxum: & pariter ea quæ laudat

PROGYMNAS. RHE.

51

Iaudat fortitudinem, pietatem, eloquentiam. Dicitur autem locus communis, aut quia de communi aliquo genere, ac rerum forma tractat: aut quia generalis est, & vulgo probata oratio, qua ex quadam statione facultas suppetit quasi erumpendi, atque in multas quæstiones excurrendi. Dicentes enim contra Midiam, aut cōtra Philippum, in tyrannidem possumus inuehi, in audaciam, in libidinem, in sordes, & id genus alia, tāquam in patentissimum campum. Atque eam ob causam (est enim cōclusio quædam elatior, eorum quæ dicta sunt) nisi perorata, aut rationibus demonstrata causa, locus non adhibetur. Quia quidem ratione satis patet, eum longè differre non solum à confirmatione & refutatione, sed etiam à thesi.

L A V D A T I O quoque & virtutipratio propriæ sunt personarum, rerūmque singularium: ut Helenæ, Athenarum ignis. Quantitas autem vnius rei & facti monstrata est incrementum: quæ maior etiam efficitur, si in locum communem deducatur: hoc est facti genus commune. Chria quoque pars inuenitur potissima loci communis. Quare erit non immerito distincta methodus huius progymnasmatis ab aliis: & si fortasse videatur eadem cum quantitate, quod eadem sint capita in utroque, sed non eodem modo tractantur. Illa namque quām plurima potest congerit, ut omni ex parte res maxima videatur: locus uno aut altero contentus est, ut augmento facto imponat coronidem. Itaque

D 2

*ui Cois
y la Ocw*
(vt mihi quidem videretur) octo fieri possunt lo-
ci capita, Quantitas, finitio, continentia, com-
paratio, coniectura, exitus, chia & exempla,
& hypotyposis.

QVANTITATIS argumenta, vt suprà di-
ctum etiam est, à materia suméatur, circa quam
versatur: vt contra furem, quod pecuniae, quæ
maximè necessaria est vite, & propter quam
tam multi labores periculaque subeuntur, insi-
diatur: à persona, vt quam iniquum est sic agere
aut pati: à modo, vt quod vi, fraude: ac pariter
à loco, à tempore, à causa. Nam etsi locus gene-
ris est, & thesi quam coniunctissimus, non ca-
ret tamen omnino circumstantia. Porrò autem
hęc quę dixi, nō solùm in re, quam augere vo-
lumus, consideranda erunt, sed in contrariis.
etiam, & repugnantibus. vt contra parricidium:
Magna est vis humanitatis: multum valet com-
munio sanguinis. In signis quoque & adiacen-
tibus: vt si pro sacerdotio & sacrificio, ponan-
tur infulę: pro viro forti, arma, & sudor, san-
guis, vulnera: pro poesi, laurus, Helicon, citha-
rę: ac eodem modo pro meretrice amatores,
pro duce milites, pro magistro discipuli.

FINITIO erit in exponendo primum quid
sit id de quo queritur, deinde in imponendo
nomine & epithetis. vt in Miloniana Cicero in
locum communem de lege nature egreditur
per definitionem, quę quid est, declarat: Nō est
enim hęc, iudices, scripta, sed nata lex, &c. de-
finitioni addit exitum: Silent enim leges inter
arma,

arma, nec se expectari volunt: cum ei qui expectare velit, antē iniusta pœna luēda sit, quām iusta repeterida. Per epitheta Demosthenes pro corona, contra proditores: Homines scelerati, & vani, & execrandi, mutilatores suę patrię, qui libertatem propinarunt, primū quidem Philippo, deinde Alexandro, felicitatem ventre atque obscenitate merentes. D. Basilius: Jeinium est ciuitatis ornamentum, stabilimentum fori, domorum pax, rerum ac bonorum salus. Cicero pro Rofcio Amerino, finitionem cum comparatione iunxit. Portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut propter quos hanc suauissimam lucem aspicerit, eos indignissimè luce priuarit: cum etiam feras inter se se partus, atque educatione, & natura ipsa concilier.

TETRUMINA

CONTINENTIA autem, ut vñura verbo sit, tamen re ipsa multa complectitur. ut adulterium vim continent, furtum, contumeliam. Idem: Scelestum, dij immortales, ac nefarium facinus, atque huiusmodi, quo vno maleficio sclera omnia complexa esse videantur.

COMPARATIO. Maius furtum homicidio, & quale sacrilegio. Nam vna ambo cupiditate in furando concitantur: neque fur, si occasio se offerat, sacra rapere, neque sacrilegus furtari vereatur. D. Chrysostomus cōtra gulam, & cæteras corporis voluptates, tomo quinto: Age & homines tum avaritia, tum remulcentia de-

tentos, mutuò cōferamus: videamusque, quibus
in rebus aut conueniant inter se, aut differant.
Vino grauis, quo plures hauserit calices, eo ma-
gis situm incendit: item & qui pecunia fuerit
 amore captus, quāto plura accumulauerit, tan-
 to maiorem sibi excitat cupiditatis & avaritiae
 flamnam, & grauius se diuexantem situm sub-
 ministrat. Ea itaque re utriusque sunt pares. Ve-
 rūm in eo rursus temulentum cupidus excedit.
Quid illud sit quæris? Ebrius rem patitur à na-
tura non alienam. Vinum quippe natura cali-
dum, cum innatā auxerit siccitatem, perpotādi
ingerit auditatem vel inexplebilem. Sed auar-
& cupido vnde tantus hic habendi amor ac-
creuit? cum enim ad summum euaserit diuitia-
 rum culmen, tum maximè pauper est. Incredibi-
 lis sanè hic morbus, perplexus, & ambiguus.
 Eodē loco Cicero: Etenim si id quod præclarè
 à sapientibus dicitur, vultu sape leditur pietas:
 quod suppliciū satis acre reperietur in eum qui
 morte obtulit patenti, pro quo mori ipsum, si res
 postularet, iura diuina atq; humana cogebant?

C O N I E C T U R A voluntatis, cum crimi-
 natione eorum quæ tam ipsa re, quam ante rem
 fieri est probabile: & qua causa, quoque cōsilio
 res tanta fieri soleat. Ut qui tantum scelus au-
 dēt, necesse est summa impietate, nullo nec Dei
 nec hominum timore præditos esse. Idem: Hec
 magnitudo maleficij facit, ut nisi penè manife-
 stum parricidiū proferatur, credibile non sit,
 nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitiis
 vita

vita inquinata, nisi sumptus effusi cum probro
atque dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta
temeritas, ut non procul abhorreat ab infania.
Accedat huc oportet odium parentis, animad-
uersonis paternæ metus, amici improbi, serui
cōscij, tēpus idoneum, locus opportunè captus
ad eam rem: penè dicam resperfas manus san-
guine paterno. Videant iudices oportet, si tan-
tum facinus, tam immane, tam acerbū credi-
turi sunt.

EXITVS eorum est, quæ sequuntur effecta.
Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fa-
mes? Atque hæc quidem aut ex re, aut ex con-
trario, ex persona, ut ex nobis, ex aliis: ut, quod
incurabile malum: post sacrilegium, inornata
templū remanere, iram deorum accersi. Eodem
loco: Sic se res habet, iudices, magnam viam, ma-
gnam necessitatem, magnam possidet religio-
nem paternus maternusque sanguis: ex quo si
qua macula concepta est, non modò elui non
potest, verùm eousque permanat ad animū, ut
summus furor atque amentia consequatur.

PER chrias & exempla, iudicia eorum pro-
ponimus, quibus id curæ fuit, aut dignum exi-
stimatū supplicio, aut quomodo cunq; visum
est esse magnum: ut deorum, hominum sapien-
tum, ciuitatum, populorum, quorūcunque de-
mum autoritas esse debet aliqua. Hoc autem
caput inter cætera plenissimè tractari solet. ut
apud eūdem: Itaque cū multis ex rebus intel-
ligi potest, maiores nostros nō modò armis plus

quām cæteras nationes, verūm etiam consilio
sapientiaque potuisse: tum ex hac re vel maxi-
mè, quòd in impios singulare supplicium inue-
nerunt. Qua in re quantum prudentiæ præsti-
terint iis qui apud cæteros sapientissimi fuisse
dicuntur, cōsiderare. Prudētissima ciuitas Athe-
niensium, dum ea rerū potita est, fuisse traditur.
Eius porrò ciuitatis sapientissimum Solonem
dicunt fuisse: eum qui leges, quibus hodie quo-
que vtuntur, scripserit. Is cum interrogaretur,
cur nullum supplicium constituisset in cum qui
parentem ne casset: respondit, se id neminem fa-
cturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum
de eo nihil senserit, quod antea cōmisum non
erat: ne non tam prohibere, quām admonere vi-
deretur. Quanto maiores nostri sapientius, qui
cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod
non aliquando violaret audacia, supplicium in
parricidas singulare excogitarunt: vt quos na-
tura ipsa retinere in officio non potuisse, ij mag-
nitudine pœna maleficio summouerentur. In-
fui voluerunt in culleum viuos, atque ita in flu-
men deiici. O singularē sapientiā iudices. Nón-
ne videntur hunc hominem ex rerum natura
sustulisse & eripuisse, cui repente cœlum, solem,
aquam, terramque ademerunt: vt qui cum ne-
casset, vnde ipse natus esset, careret iis rebus
omnibus ex quibus omnia nata esse dicuntur.
Noluerunt feris corpus obiicere, ne bestiis quo-
que, quæ tantum scelus attigissent, immaniori-
bus vteremur. Non sic nudos in flumen deiice-
re.

re, ne cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera quæ violata sunt, expiari putentur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem ullam reliquerint. Etenim quid est tam cōmune, quām spiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus eiectis? Ita viuunt, dum possunt, ut ducere animā de cōlo non queant. Ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat. Ita iactantur fluctibus ut nunquam abluantur. Ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.

HYPOTYPOSIS omnia quæ in negotio possunt euidenter, & quasi animatam narrationem facere, ea ponet ob oculos. Ut in laudibus ieunij Magnus ille Basilius: Ieunantis color reuerendus est, non ad impudentem ruborem efflorescens, sed temperato pallore ornatus; oculus mansuetus, gressus submissus, facies meditabunda, quæ proteruo risu nō dedecoratur, moderatus sermo, cum puritate cordis. D. Chrysostomus: Videbimus certè alterum præ vino delirantem, apertis oculis, nec quēquam discerentem, oberrantem temerè, titubantem, in obuios quosque offendentem, euomentem, lacerum, & deformiter nudum, adeò ut risum cunctis moueat.

Hypotyposis
Eloq

EPILOGVS per transitionem fit à loco ad questionem propositam. Alioqui si integrè tractetur, ut factum videmus ab ecclesiasticis doctoribus per homilias, non solum cōclusio fieri, sed etiam exordium integrum. Hic enim locus

esse desinit: qui quidem abruptus semper, & per excursionem, ut oratio crescat, adhibetur. Sed in homiliis patrum continuè tractatur vnum argumentum, multis etiam similitudinibus adumbratum, & confirmationibus sacre scripturae. Hæc & his longè plura subeunt ijs, qui accumulandi trahuntur cupiditate, a deo ut etiam si cunctorum sibi mortalium fortunas comparauerint, nullam tamen sentiant præ auiditate immodica voluptatē. Quod si vel nummi unius iacturam fecerint, se miseros existimant, & vita excidisse. Quæ mala quis poterit oratione consequi? At si præsentia hæc tantopere illos affligunt, cogita quanto acerbiora illos post mortem tormenta manent. Illum dico à regno cœlesti casum, dolorem ob gehennā, perpetuos carceres, tenebras extiores, vermes venenatos, dentium stridorem, pressuras, angustias, ignis fluenta, & caminos inextinguibiles. Quæ omnia colligens, conferensque cum ipsa pecuniarum voluptate, funditus hunc auaritiae morbum euellito: ut graui inopia liber, veras tibi diuitias comares: cūmque his præsentibus bonis, & futura etiam assequaris.

DECIMVM PRO-
GYMNASMA.

PROSOPOPOEIA.



Rosopœia autem sermo est, motum aliquem animi exprimens: ut dolorem, iram,

iram, odium, amorem, cupiditatem, spem, metum, & quæ sunt eius generis: ut qualia iratus Achilles contra Agamemnonem loquitus est. Aut mores & ingenium personæ, veluti adolescentis, senis, mulieris, rustici, militis: ut qualia verba proferebat Achilles, cum Hectorem occideret. Et dicitur hæc eloqua: nam pro loquentis moribus temperatur oratio, vel hilaris, vel tristis, vel inornata, vel tumens, vel blanda, vel anxia. Illa verò, quia motum animi incidentem habet, & à proprio more loquendi is qui loquitur, declinat, græcè dicitur περονία πατέτι, ut indignatio, gemitus, lamenta, & omnis exclamatio. Fit etiam sëpe, ut res mutas loquentes introducamus, & sub aliqua persona: aut ad eas loquamur, tanquam sensu præditas. ut, O patria, ô diuûm domus Ilium. quæ ramen figu-προβοτα, ra est prosopopœia, non progymnasma. In fin-η ΧΙ genda igitur persona, talis erit nostra oratio, qualis esset eius quem imitamur. Et quia pafsim in comediis & tragœdiis exempla occur- runt, plura non adiiciam.

E X E M P L U M P R O S O P O P O E I A E,
ex primo Aeneidos, qualia secum Juno loqui-
ta est, Troianos ex Sicilia soluen-
tes contemplata.

Pathopœia. Méne incepto desistere uictam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?
Quippe uetus fatis. Mixta. Pallásne exurere classem
Argiuum, atque ipsos potuit submergere ponto,

Vnius

Vnius ob noxam, & furia Aiaciis Oilei?
 Ipsa Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem,
 Dissecutq; rates, euertitq; æquora uentis.
 Illum expirantem transfixo pectore flammæ
 Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto.
 Ethopœia. Ast ego, quæ diuīm incedo regina, Iouisq;
 Et soror & coniux, una cum gente tot annos
 Bella gero, & quisquam Iunonis numen adoret
 Præterea? aut supplex aris imponet honorem?

V N D E C I M V M P R O-
 G Y M N A S M A.

G R A T I A R V M A C T I O.



Ratiæ aguntur quatuor plurimū modis: quantitate, ipsa gratiarum actione, votis, ac denique pollicitatione non ingrati animi. Est autem quantitas amplificatio accepti beneficij. Vota verò non fiunt, nisi sit maius beneficium nostris viribus.

A P P E N D I X.

I N ter progmnaſmata ponendam duxi Gratiarum actionē, & huic adiungendam Consolationem: ut quibus tui similes, hoc est, generosi ac principes viri frequenter indigeāt. Alioqui enim à Proſopopœia neutram fecludo.

E X E M P L U M E X P R I M O
 A E N E I D O S.

Quantitas. O ſola infandoſ Troiae miserata labores.

Quæ

*Quæ nos reliquias Danaū, terræq; marisq;
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
Vrbe, domo socias. Gratia. Grates persoluere dignas,
Non opis est nostræ, Dido : nec quicquid ubique est
Gentis Dardanie, magnum quæ sparsa per orbem.
Vota. Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsq; uam iustitiae est, ex mens sibi conscientia recti,
Præmia digna ferent. Digressio ad laudem.*

*Quæ te tam lœta tulerunt
Secula? qui tanti tamē genuere parentes?
Promissio. In freta dum fluuij current, dum mon-
tibus umbra*

*Lustrabunt, conuexa polus dum sidera pascet:
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt:
Quæ me cunque uocant teræ.*

D V O D E C I M V M P R O-
G Y M N A S M A.

C O N S O L A T I O.

 Onsolationis denique partes fient
quatuor. Prima, Commiseratio, ma-
xime verò in dolore vehementiori:
deinde, Exitus aliqua spes: tertio,
Exhortatio ad constantiam, cum Exrenuatione
negotij: ut quod vitari nō potest, quod multis
est cōmune, quod iam præteriit, aut quod omni-
no malum nō est, modò id quidem dici possit.

A P P E N D I X.

*C*ommiserationē voco doloris proprij sig-
nificationem. Ideoque cauendum est, nē
exten-

extenuando negocium , minimè dolere videa-
mur.Id enim esset, simul calidum & frigidum
ex eodem ore.

EXEMPLVM CONSOLA-
TIONIS , ex primo Aeneidos.

Commiseratio. O socij, neque enim ignari sumus
antè malorum.

Extenuatio. O passi grauiora. Exitus. Dabit Deus
his quoque suam.

Extenuatio per comparationem. Vos & Scyllæ
rabiem, penitusq; sonantes

Accessis scopulos, nos & Cyclopeas saxa

Experti. Adhortatio. Reuocate animos, moctumq;
timorem

Mittite. Euentus. Forsan & haec olim meminisse
iuuabit.

A necessitate extenuatio. Per uarios casus, per
tot discrimina rerum

Tendimus in Latiū. Exitus. Sedes ubi sata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troie.

Adhortatio. Durate, & uosmet rebus seruate se-
cundis.

F I N I S.

IOANNES MORI-
fotus Antonio Lullo S.

Melior est, mehercle, posterior ipsa cogitatio. id quod tum alias sape, tum vero hodie comperi. Nam cum nostrum de Heroibus commentum tibi non placaret, nec tuum istum tribunum problem: aliud esse existimo, quod neuter nostrum consequutus est. Id autem intelligi non potest, quin prius, quid sit Hellas, discutiamus. Alij dicunt Ελάσα 1. Erat pl. Phthiam significare Phanorinus regio- 2. R. Roma nem, non urbem dici tradit, sequetus (ve opinor) Pomponij Melae sententia. Ar- aristarchus ex Thucydide, solam Thessa- 3. Thracian liam ita nominari autumat. Apollo 4. Appollo: Gero- nius totam Graciam. Strabo Graciam 5. Strabo en- vocat, qua circa Isthmum in continentē 6. rurā est. Graciam cu- Tisthmus con termino

ut & Mars est, ab Hellene Deucalionis & Pyrrha
 genitor, qui Phthia sedem habuit. Hinc ex
 en nominatio
 in Hellens
 Achiam nominat. Quid facias in tan
 ta opinionum varietate? Ego vero din
 meditatus, quam potissimum sequerer,
 adhuc tandem Straboni, ut Aphthonij
 mes sit huiusmodi: Ab Hellene Hellas
 cognominata est. Atque Hellen Phthia
 insedit. Igitur ex ea manasse videtur
 cognomen in regionem, ut Hellas dice
 tur. Quo loco legendum existit, &
 οὐδὲ Ἑλλάδος τροπήθεν εἰσώρυπον. nisi Hel
 lenen fuisse εἰσώρυπον dicamus, quo uti
 que modo εἰσώρυπος τῶν ἀρχόντων olim
 vocabatur, non quod ὑπὸ τῶν ἀλλοι αρ
 χόντων in actis prescriberetur, sed quod
 ab eius nomine alijs potius. Sic fieret, ut
 εἰσώρυπος quoque legi posset. Itaque ver
 rendum mihi videtur, si priorem lectio
 nem sequaris: Unde cognomen Hella
 dis

69

dis prodit. siquidem tale etiam nomen
surpat Pomponius, Cosmographiae se-
cundo. Si posteriorem reddendum esset
ad hunc modum: Unde Hellas sui no-
minis auctore habuit. Adducor autem
in hanc interpretationem, ex verbis
Aphthonij. Nam si Troiam laudat ὑπὸ^{τῶν οἰκιζῶν}, est etiam omnino verisimile,
Phthiam ab eo laudari, ὑπὸ τῆς ἐπωνύμης
μετὰ τὴν Ἑλλάδος, quod Hellas ab eius
rege cognominata sit.

Vale.

E

DE ANTONII LVLLI

Progymnasmatis, Ioan. Morisoti
medici Epigramma.

* *

*Phœcum valeant horti: mihi dia voluptas,
In bene dicendi floribus esse nouis. (res,
Non tot Hymettus habet roseos, nō Hybla colo-
Non Saba, non Cilicum fertilis ora gerit.
Quid mihi florigeros montes, ô Grecia, iactas?
Hermes postremam nunc colit Hesperiam.*

I N D E X.

A

- Chilles Pelei F. ratio. 53. 54
Atari miseria. 58
23.



- Achillis & He- propter Bona, serenda etia
ctoris comparatio. 22 pessima. 41
Achillis genus. 23 Bonorum diuiso. 17

Achillis res gestae. 24

Adonis Veneri dilectus.

13. 14

ἀδύνατος.

31

Aeacus Iouis F.

23

Affabulatio.

13

Amplificationis us

capita. eod. inde

ἀναλογον.

32

ἀνασκευη.

30

Animi bona.

18

Antiparastasis.

38

Aphthonij. locus expen-

sus.

65

Apologi.

12

Apollo poetice princeps.

33

Argumentum ab exemplo

ἀπεχθον.

26

Artium præconium ab Iso-

cate.

28

Avaritiae & gulæ compa-

- B propter bona, serenda etia
peccata. 41

- C Bonorum diuiso. 17

Cansa.

Charitas.

Chiron.

Christ. 24. unde dicitur.

cta.

Christa exemplum. 27. 28

Christa tractatio.

Christa loci communis pars. 51

Circumstantia.

Circumstantiarum usus in

amplificatione. 44. 45

Cogitatio posterior priore

meliore.

Comparatio.

Comparatio quid.

eius usus.

Comparatio expressa. 45.

& 46

Coniugium propter dolos

res non sternendū. 40

Coniugij laus.

39. 40

I N D E X.

Coniugij mala ex coiugum uitio.	38	Euentus.	38
Coniugio & orbitatem ex- uiduitatem reparari.	42	Exaggeratio.	45
Consolationis partes	61.	Exemplum quid à parabo- la differat.	26
eius exemplum.	62	ab Exemplo argumentum ἀπεχνον.	ibid.
Continentia.	45	Exornationes.	11
Contrarij uis.	26	Extenuatio.	44
Corporis bona.	17		F
		Fabulosa narrationis ex- plum.	
Daphnes fabula expēsa.	33		12
Dardanus Iouis F.	23	Fortunæ bona.	17
Demosthenis uita laborio- sissima.	29	Funebris orationis partes.	
Descriptio quid à narra- tione differat.	15.16		
Descriptions exemplū.	17	G	
Diogenis chria.	25	Generis diuisio	17
E		Græci unde ελλως.	64
Ebrietatis detestatio.	57	Gratiarum actio quadru- plex.	60
Educationis partes.	17	Gratiarum actionis exem- plum.	60.61
Encomium quid.	ibid.	Gulæ detestatio.	54
Encomij epilogus cuiusmo- di.	19	H	
Encomij nullum exordium		Hectoris & Achillis com- paratio.	22.23
proprium.	18	Hectoris genus.	23
Enstatis.	38	Hectoris res gestæ.	24
Ἐπιμέθιον.	12	Hellas.	63
Eruditionis radicē quare		Hellen Deucalionis & Pir- rhae F.	64
Isocrates amaram dixe- rit.	28	Ἑλλως cur dicti Græci.	64
Ethopæcia.	69	Herodoti cum Thucydide collatio.	

I N D E X.

collatio.	21	Liuij locus.	47
Hesiodi chria.	29	Loci capita quo ^t .	52
Honestatis loci.	32	Locus communis.	46.50
Hypothesis quid à thesi Locum à confirmatione, differat.	36	refutatione, & thesi dif-	
Hypotyposis.	57.58	ferre.	51
I			
Leiunij laus.	57	Logismus quid à causa dif-	
Impossibile.	ferat.	12	
Inconsequens.	31	λογισμοί.	12
Incredibile.	32	M	
Incrementum.	Matrimonium nihil minus		
Indignatio.	46.51	quam res laboriosa.	44
Instantia.	46	in Misericordia cauendum	
Isocratis chria.	37	figura studium.	47
Iucunda.	26	N	
L			
Laconici imperij fines.	25	Narratio qualis esse deo-	
Laconis chria.	ibid.	beat. II dilucida, bre-	
Ladonis flu. filia Daphne.	Narratio quid.	uis, uerisimilis, iucunda	
Laomedon Dardani F.	33	ecod.	
Lapithae Peleo uicti.	23	Narratio quid à descriptio-	
ibidē.	ne differat.	ne differat.	15
Laudatio personarū pro-	Narrationis dilatāde mo-		
pria.	di quatuor.	12	
Lauro Apollinem corona-	51	Narrationis fabulosæ exē-	
ri.	plum.	12	
Laus quid ab encomio dif-	36	Narrationis uirtutes.	11
ferat.	14	Narrationes fabulosæ, fi-	
in Lege ferenda & abro-	ctæ, ciuiles.	12	
ganda eadem tractari.	O		
38.39	Ordo in narratione opti-		
	mus quis.	15	

I N D E X.

P	Refutationis exemplum.	32
Parabola.	26 Religio.	32
Parabola quid ab exemplo.	Res.	38
differat.	26 Rerum gestarum diuinis.	18
Paricidio cur nulla à	Sō- Rosa prius candida, quo-	
lone pena cōstituta.	lone modo rubra facta.	14
Paricidij poena.	61.62 S	
Pathopœia.	68 Sermone nihil melius in re-	
Peleus Aeaci F.	23 rum natura.	19
Persona duplex.	37 Similitudo.	26
Phthia an Hellas.	63 T	
Pietas.	32 Temporis nulla substantia,	
Platonis chria.	25 nisi per translationē.	15
Poete deorum contempto-	Testimoniorum duo gene-	
res.	res.	27
Portus descriptio ex Ver-	Thesis alia theorica, alia	
gilio.	16 practica.	37
Primus Laomedotis F.	23 Thesis quid.	36
πομύθιον.	12 Thesis quid ab hypothesi	
Prosopœia.	59 eius usus.	37
ibidem.	differat.	37
Pythagoræ chria.	25 Thucydidis patria.	19
Pythi amor in Daphnem.	Thucydidis laudatio, ex	
33 Aphthonio.	ibid.	
Q	Troie conditores dij.	23
Quantitas.	44 V	
Quantitatibus que figuræ cō-	Val. Maximi mos.	27
ueniant.	47 Venus dilecta Marti.	12
Quantitatis argumenta.	52 Violatio.	38
R	Virtutis ramos ex labori-	
Refutatio.	30 bus & sudoribus nasci.	
eius partes.	codem 30	
	Virtutis	

I N D E X.

Virtutis via aspera Hesiodo, uertex planus.	29	pter incommoda. 41. 42
Virtutum collatio.	22	Vtilitatis exponēde ratio;
Vitæ breuitas.	25	32
Vrbis laus	18	Vxorem esse ducendam.
Vtilia non damnanda pro-	39	

F I N I S.